

Cambridge University Press

0521604338 - The Annals of Tacitus, Volume II - Edited by F. R. D. Goodyear

Excerpt

[More information](#)

---

TEXT

P. CORNELII TACITI  
LIBER I  
AB EXCESSV DIVI AVGVSTI

55. Druso Caesare C. Norbano consulibus decernitur 1  
Germanico triumphus manente bello; quod quamquam  
in aestatem summa ope parabat, initio ueris et repentino in  
Chattos excursu praecepit. nam spes incesserat dissidere  
5 hostem in Arminium ac Segestem, insignem utrumque per-  
fidia in nos aut fide. Arminius turbator Germaniae, Segestes 2  
parari rebellionem saepe alias et supremo conuiuio, post  
quod in arma itum, aperuit suasitque Varo ut se et Arminium  
et ceteros proceres uinciret: nihil ausuram plebem princi-  
10 pibus amotis, atque ipsi tempus fore quo crimina et innoxios  
discerneret. sed Varus fato et ui Armini cecidit: Segestes, 3  
quamquam consensu gentis in bellum tractus, discors  
manebat, auctis priuatim odiis, quod Arminius filiam eius  
alii pactam rapuerat, gener inuisus inimici soceri, quaeque  
15 apud concordem uincula caritatis, incitamenta irarum apud  
infensos erant.

56. Igitur Germanicus quattuor legiones, quinque auxili- 1  
arium milia et tumultuarias cateruas Germanorum cis  
Rhenum colentium Caecinae tradit; totidem legiones,  
20 duplicem sociorum numerum ipse ducit, positoque castello  
super uestigia paterni praesidii in monte Tauno expeditum  
exercitum in Chattos rapit, L. Apronio ad munitiones  
uiarum et fluminum relicto. nam (rarum illi caelo) siccitate 2  
et amnibus modicis inoffensum iter properauerat, imbresque  
25 et fluminum auctus regredienti metuebatur. sed Chattis adeo 3  
inprouisus aduenit, ut quod imbecillum aetate ac sexu

---

11 Armini] armeni      25 metuebatur] metuebantur *Rhenanus, fort. recte*

## CORNELII TACITI

statim captum aut trucidatum sit. iuuentus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque pontem coeptantis arcebant; dein tormentis sagittisque pulsus, temptatis frustra condicionibus pacis, cum quidam ad Germanicum perflugissent, reliqui  
 4 omissis pagis uicisque in siluas disperguntur. Caesar incenso 5  
 Mattio (id genti caput) aperta populatus uertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium lacescere, quod illi moris,  
 5 quotiens astu magis quam per formidinem cessit. fuerat animus Cheruscis iuuare Chattos, sed exterruit Caecina huc illuc ferens arma; et Marsos congregari ausos prospero proelio 10  
 cohibuit.

1 57. Neque multo post legati a Segeste uenerunt auxilium orantes aduersus uim popularium a quibus circumsedebatur, ualidiore apud eos Arminio quoniam bellum suadebat: nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus 15  
 2 rebusque motis potior habetur. addiderat Segestes legatis filium nomine Segimundum: sed iuuenis conscientia cunctabatur. quippe anno quo Germaniae desciuere sacerdos apud aram Vbiorum creatus ruperat uittas, profugus ad rebelles. adductus tamen in spem clementiae Romanae pertulit patris 20  
 3 mandata benigneque exceptus cum praesidio Gallicam in ripam missus est. Germanico pretium fuit conuertere agmen, pugnatumque in obsidentis, et ereptus Segestes magna  
 4 cum propinquorum et clientium manu. inerant feminae nobiles, inter quas uxor Arminii eademque filia Segestis, 25  
 5 mariti magis quam parentis animo, neque uicta in lacrimas neque uoce supplex, compressis intra sinum manibus grauidum uterum intuens. ferebantur et spolia Varianae cladis, plerisque eorum qui tum in deditionem ueniebant praedae data; simul Segestes ipse, ingens uisu et memoria bonae 30  
 societatis inpauidus.

1 58. Verba eius in hunc modum fuere: 'non hic mihi primus erga populum Romanum fidei et constantiae dies. ex quo a

2 tramiserat *Acidalius*: tramiserit *M* 16 rebusque motis *Lipsius*: rebus commotis *M* 26 uicta] euicta *Rupertii, Spengel*

## AB EXCESSV DIVI AVGVSTI 1.56–59

diuo Augusto ciuitate donatus sum, amicos inimicosque ex  
 uestris utilitatibus delegi, neque odio patriae (quippe prodito-  
 res etiam iis quos anteponunt inuisi sunt), uerum quia  
 Romanis Germanisque idem conducere et pacem quam  
 5 bellum probabam. ergo raptorem filiae meae, uiolatorem 2  
 foederis uestri Arminium apud Varum, qui tum exercitui  
 praesidebat, reum feci. dilatus segnitia ducis, quia parū  
 praesidii in legibus erat, ut me et Arminium et consocios  
 uinciret flagitauit: testis illa nox, mihi utinam potius nouiss-  
 10 ima! quae secuta sunt depleri magis quam defendi possunt. 3  
 ceterum et inieci catenas Arminio et a factione eius iniectas  
 perpressus sum. atque ubi primum tui copia, uetera nouis et  
 quieta turbidis antehabeo, neque ob praemium, sed ut me  
 perfidia exsoluam, simul genti Germanorum idoneus con-  
 15 ciliator, si paenitentiam quam perniciem maluerit. pro iuu- 4  
 enta et errore filii ueniam precor; filiam necessitate huc  
 adductam fateor. tuum erit consultare utrum praeualeat  
 quod ex Arminio concepit an quod ex me genita est. Caesar 5  
 clementi responso liberis propinquisque eius incolumitatem,  
 20 ipsi sedem uetere in prouincia pollicetur. exercitum reduxit  
 nomenque imperatoris auctore Tiberio accepit. Arminii uxor 6  
 uiriliter stirpem edidit: educatus Rauennae puer quo mox  
 ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo.

59. Fama dediti benigneque excepti Segestis uulgata, ut 1  
 25 quibusque bellum inuitis aut cupientibus erat, spe uel dolore  
 accipitur. Arminium super insitam uiolentiam rapta uxor,  
 subiectus seruitio uxoris uterus uacordem agebant, uolita-  
 batque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Caesarem  
 poscens. neque probis temperabat: egregium patrem, mag- 2  
 30 num imperatorem, fortem exercitum, quorum tot manus  
 unam mulierculam auexerint. sibi tres legiones, totidem 3  
 legatos procubuisse; non enim se prodicione neque aduersus  
 feminas grauidas, sed palam aduersus armatos bellum  
 tractare. cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana

---

20 uetere *M al. m. corr.*, *Lipsius*: uetera *M*

## CORNELII TACITI

4 quae dis patriis suspenderit. coleret Segestes uictam ripam,  
redderet filio sacerdotium †hominum†: Germanos numquam  
satis excusaturos quod inter Albim et Rhenum uirgas et  
5 secures et togam uiderint. aliis gentibus ignorantia imperi  
Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa: quae 5  
quoniam exuerint inritusque discesserit ille inter numina  
dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum  
6 adulescentulum, ne seditiosum exercitum pauescerent. si  
patriam parentes antiqua mallent quam dominos et colonias  
nouas, Arminium potius gloriae ac libertatis quam Segestem 10  
flagitiosae seruitutis ducem sequerentur.

1 60. Conciti per haec non modo Cherusci, sed conterminae  
gentes, tractusque in partis Inguiomerus Arminii patruus,  
uetere apud Romanos auctoritate. unde maior Caesar  
2 metus. et ne bellum mole una ingrueret, Caecinam cum 15  
quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per  
Bructeros ad flumen Amisiam mittit, equitem Pedo praefectus  
finibus Frisiorum ducit. ipse inopitas nauibus quattuor  
legiones per lacus uexit; simulque pedes eques classis apud  
praedictum amnem conuenere. Chauici cum auxilia pollice- 20  
3 rentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentis  
expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit  
interque caedem et praedam repperit undeicesimae legionis  
aquilam cum Varo amissam. ductum inde agmen ad ultimos  
Bructerorum, quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter 25  
uastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiae  
Vari legionumque inseputae dicebantur.

1 61. Igitur cupido Caesarem inuadit soluendi suprema  
militibus ducique, permoto ad miserationem omni qui aderat

---

2 hominum *eadem fort. m. in hominem corr. M*: hostium *Halm*:  
Romanum *F. A. Wolf*: omissum *Seyffert*: ignominiam *Heinsius*, hoc  
unum *Horkel, dist. mutata: del. Novák*: alii alia Germanos . . .  
excusaturos] Germanis . . . excusaturum *Acidalius*, excusaturus *Seyffert*:  
Germanos . . . execraturus *Wurm* 4 uiderint] *fort. siuerint*  
imperii] imperii *edd. nonnulli* 14 uetere *Wesenberg*: ueteri *M*  
19 classis *Lipsius*: classes *M*

## AB EXCESSV DIVI AVGVSTI 1.59–63

exercitu ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum  
 et sortem hominum. praemisso Caecina ut occulta saltuum  
 scrutaretur pontesque et aggeres umido paludum et fallacibus  
 campis imponeret, incedunt maestos locos uisuque ac memoria  
 5 deformes. prima Vari castra lato ambitu et dimensis princi-  
 piis trium legionum manus ostentabant; dein semiruto uallo,  
 humili fossa accisae iam reliquiae consedissee intellegebantur.  
 medio campi albertia ossa, ut fugerant, ut restiterant,  
 disiecta uel aggerata. adiacebant fragmina telorum equor- 3  
 10 umque artus, simul truncis arborum antefixa ora. lucis  
 propinquis barbarae arae, apud quas tribunos ac primorum  
 ordinum centuriones mactauerant. et cladis eius superstites, 4  
 pugnam aut uincula elapsi, referebant hic cecidisse legatos,  
 illic raptas aquilas; primum ubi uulnus Varo adactum, ubi  
 15 infelici dextera et suo ictu mortem inuenerit; quo tribunali  
 contionatus Arminius, quot patibula captiuus, quae scrobes,  
 utque signis et aquilis per superbiam inluserit.

62. Igitur omnis qui aderat exercitus sextum post cladis 1  
 annum trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias  
 20 an suorum humo tegeter, omnes ut coniunctos, ut consan-  
 guineos aucta in hostem ira maesti simul et infensi conde-  
 bant. primum extruendo tumulo caespitem Caesar posuit,  
 gratissimo munere in defunctos et praesentibus doloris socius.  
 quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in 2  
 25 deterius trahenti, siue exercitum imagine caesorum insepul-  
 torumque tardatum ad proelia et formidolosiozem hostium  
 credebat; neque imperatorem auguratu et uetustissimis  
 caerimoniis praeditum adtrectare feralia debuisse.

63. Sed Germanicus cedentem in auia Arminium secutus, 1  
 30 ubi primum copia fuit, euehi equites campumque quem  
 hostis insederat eripi iubet. Arminius colligi suos et propin-  
 quare siluis monitos uertit repente; mox signum prorumpendi

---

5 deformes *Beroaldus*: deformides *M*: deformi. sed *G. C. Herrmann*  
 14 primum ubi *traiectionis signis notata habet M*, *incert. q. m. additis* 18  
 omnis *Andresen*: romanis *M*: Romanus *Beroaldus*

## CORNELII TACITI

2 dedit iis quos per saltus occultauerat. tunc noua acie turbatus  
 eques, missaeque subsidiariae cohortes et fugientium agmine  
 impulsae auxerant consternationem; trudebanturque in  
 paludem gnaram uincentibus, iniquam nesciis, ni Caesar  
 productas legiones instruxisset. inde hostibus terror, fiducia 5  
 militi; et manibus aequis abscessum.

3 Mox reducto ad Amisiam exercitu legiones classe, ut  
 aduexerat, reportat; pars equitum litore Oceani petere  
 Rhenum iussa; Caecina, qui suum militem ducebat, monitus,  
 quamquam notis itineribus regrederetur, pontes longos quam 10  
 4 maturrime superare. angustus is trames uastas inter paludes  
 et quondam a L. Domitio aggeratus; cetera limosa, tenacia  
 graui caeno aut riuus incerta erant; circum siluae paulatim  
 adcliues, quas tum Arminius impleuit, compendiis uiarum et  
 cito agmine onustum sarcinis armisque militem cum anteuen- 15  
 5 isset.

Caecinaed ubitanti quonam modo ruptos uetustate pontes  
 reponeret simulque propulsaret hostem castra metari in loco  
 1 placuit, ut opus et alii proelium inciperent. 64. barbari, per-  
 fringere stationes seque inferre munitioribus nisi, lacesunt  
 circumgrediuntur occurrant: miscetur operantium bellan- 20  
 2 tiumque clamor. et cuncta pariter Romanis aduersa, locus  
 uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus  
 lubricus, corpora grauia loricis; neque librare pila inter  
 undas poterant. contra Cheruscis sueta apud paludes proelia,  
 procera membra, hastae ingentes ad uulnera facienda 25  
 3 quamuis procul. nox demum inclinantis iam legiones  
 aduersae pugnae exemit. Germani ob prospera indefessi, ne  
 tum quidem sumpta quiete, quantum aquarum circum  
 surgentibus iugis oritur uertere in subiecta; mersaque humo  
 et obruto quod effectum operis duplicatus militi labor. 30  
 4 quadragesimum id stipendium Caecina parendi aut imperi-  
 tandi habebat, secundarum ambiguarumque rerum sciens  
 eoque interritus. igitur futura uoluens non aliud repperit

23 librare *Beroaldus* (*M<sup>ms</sup>*): liberare *M* 26 nox *ed. Frobeniana* 1519:  
 mox *M* iam *M<sup>ms</sup>*, *Freinsheim*: tam *M*: tum *Beroaldus*

## AB EXCESSV DIVI AVGVSTI 1.63–65

quam ut hostem siluis coerceret, donec saucii quantumque grauioris agminis anteirent; nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quae tenuem aciem pateretur. deliguntur legiones quinta dextro lateri, unetuicesima in 5 laeuum, primani ducendum ad agmen, uicensimanus aduersum secuturos.

65. Nox per diuersa inquires, cum barbari festis epulis, 1 laeto cantu aut truci sonore subiecta uallium ac resultantis saltus complerent, apud Romanos inualidi ignes, interruptae 10 uoces, atque ipsi passim adiacerent uallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam peruigiles. ducemque terruit dira 2 quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire uisus est uelut uocantem, non tamen obsecutus et manum intendentis reppulisse.

15 Coepta luce missae in latera legiones, metu an contumacia, 3 locum deseruere, capto prope campo umentia ultra. neque 4 tamen Arminius quamquam libero incursu statim prorupit; sed ut haesere caeno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, utque tali in tempore sibi 20 quisque properus et lentae aduersum imperia aures, inrumperere Germanos iubet, clamitans ‘en Varus eodemque iterum fato uinctae legiones!’ simul haec et cum delectis scindit agmen equisque maxime uulnera ingerit. illi sanguine suo et 5 lubrico paludum lapsantes excussis rectoribus disicere obuios, 25 proterere iacentes. plurimus circa aquilas labor, quae neque ferri aduersum ingruentia tela neque figi limosa humo poterant. Caecina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumueniebatur, ni prima legio sese opposuisset. iuuit hostium auditas, omissa caede praedam sectantium, enisae- 30 que legiones uesperascente die in aperta et solida. neque is 7 miseriarum finis. struendum uallum, petendus agger, amissa

12 Quintilium *Rhenanus*: quintillium *M* 14 intendentis *M al. m. corr.*: intendentes *M*: tendentis *Haase* 21 eodemque *Ritter*: et eodemque *M*: et eodem *Lipsius* 22 uinctae] uictae *M<sup>corr.</sup>*, *Beroaldus* 26 ferri aduersum] aduersum ferri *traiectionis signis incert. q. m. additis M*



## CORNELII TACITI

magna ex parte per quae egeritur humus aut exciditur caespes; non tentoria manipulis, non fomenta sauciis; infectos caeno aut cruore cibos diuidentes funestas tenebras et tot hominum milibus unum iam reliquum diem lamentabantur. 5

- 1 66. Forte equus abruptis uinculis uagus et clamore territus quosdam occurrentium obturbauit. tanta inde consternatio inrupisse Germanos credentium ut cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maxime petebatur, auersa hosti et fugien-  
2 tibus tutior. Caecina comperto uanam esse formidinem, cum 10 tamen neque auctoritate neque precibus, ne manu quidem obsistere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portae miseratione demum, quia per corpus legati eundem erat, clausit uiam. simul tribuni et centuriones falsum  
1 pauorem esse docuerunt. 67. tunc contractos in principia 15 iussosque dicta cum silentio accipere temporis ac necessitatis monet. unam in armis salutem, sed ea consilio temperanda manendumque intra uallum, donec expugnandi hostes spe propius succederent, mox undique erumpendum: illa  
2 eruptione ad Rhenum perueniri. quod si fugerent, pluris 20 siluas, profundas magis paludes, saeuitiam hostium superesse; at uictoribus decus gloriam. quae domi cara, quae in castris  
3 honesta, memorat; reticuit de aduersis. equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribunorumque nulla ambitione fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes hostem inuaderent. 25  
1 68. haud minus iniques Germanus spe cupidine et diuersis ducum sententiis agebat, Arminio sinerent egredi egressosque rursum per umida et impedita circumuenirent suadente, atrociora Inguiomero et laeta barbaris, ut uallum armis am-  
birent: promptam expugnationem, plures captiuos, incor- 30 ruptam praedam fore.  
2 Igitur orta die prouunt fossas, iniciunt crates, summa ualli  
3 prensant, raro super milite et quasi ob metum defixo. post-

---

1 per quae egeritur *Rhenanus*: perque geritur *M*: per quae geritur *Beroaldus* 28 umida *Baiter*: humida *M*

## AB EXCESSV DIVI AVGVSTI 1.65–69

quam haesere munimentis, datur cohortibus signum cornuaque ac tubae concinuere. exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes non hic siluas nec paludes, sed aequis locis aequos deos. hosti facile excidium 4  
5 et paucos ac semermos cogitanti sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto maiora offunduntur, cadebantque, ut rebus secundis auidi, ita aduersis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post graue uulnus pugnam 5  
10 deseruere: uulgus trucidatum est, donec ira et dies perman- sit. nocte demum reuersae legiones, quamuis plus uulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, uim sanitatem copias cuncta in uictoria habuere.

69. Peruaserat interim circumuenti exercitus fama et 1  
infesto Germanorum agmine Gallias peti, ac ni Agrippina 15  
inpositum Rheno pontem solui prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit militibusque, ut quis inops aut saucius, uestem et fomenta dilargita est. tradit C. Plinius, 2  
Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium 20  
pontis laudes et grates reuersis legionibus habentem. id 3  
Tiberii animum altius penetrauit: non enim simplices eas curas, nec aduersus externos <studia> militum quaeri. nihil 4  
relictum imperatoribus, ubi femina manipulos interuisat, signa adeat, largitionem temptet, tamquam parum ambitiose 25  
filium ducis gregali habitu circumferat Caesaremque Caligulam appellari uelit. potioem iam apud exercitus Agrippinam quam legatos, quam duces; compressam a muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quierit. accendebat haec onerabatque Seianus, peritia morum 5  
30 Tiberii odia in longum iaciens, quae reconderet auctaque promeret.

6 offunduntur *Rhenanus*: offenduntur *M* 20 pontis *M<sup>ms</sup>*: poti *M*:  
ponti *Beroaldus* (et ut uid. *M al. m. corr.*) laudes *M al. m. corr.*:  
laudis *M*: laudis (... gratis) *C. Heraeus* 22 <studia> militum *C.*  
*Heraeus* (iam militum <studia> *Doederlein*): militum *M*: militem *Beroaldus*  
(et *M al. m. corr.*): <fauorem> militum *Ritter*: <animos> militum  
*Weidner*: militum <mentes> *Koestermann*